



Jus Canonicum In V. Libros Decretalium Distributum

novâ Methodo explicatum, Omnibus Capitulis Titulorum (qui in Antiquis, & novis Libris Decretalium continentur) promiscuè & confusè positis, in ordinem doctrinæ digestis. Adjunctis Aliis Quæstionibus Connexis, Quæ Ad Plenam Cujusque Tituli, Aut Materiæ Cognitionem, Et Expositionem Pertinent. ...

Respondens Libro Quarto Decretalium : In Quo De Sponsalibus, Et Matrimoniis, & quae eis annexa sunt, agitur, eadémque plenè, & theoricè explanatur, & declarantur ...

Pirhing, Ehrenreich

Dilingae, 1678

Reverendissimo, Et Celissimo S. R. I. Principi, Domino, Domino Sebastiano, Episcopo Passaviensi, Comiti De Oötting, Burgravio Hæreditario In Lienz &c. Domino Ac Principi Svo Clementissimo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98293](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98293)

REVERENDISSIMO,
ET
CELSISSIMO
S. R. I. PRINCIPI
DOMINO, DOMINO
SEBASTIANO,
EPISCOPO
PASSAVIENSI,
COMITI DE PÖTTING,
BURGRAVIO HÆREDITARIO
IN LIENZ. &c.
DOMINO AC PRINCIPI SVO
CLEMENTISSIMO.

COnnive, Clementissime Princeps, ut exiguis Mea Canonica Lucubrationis Rivulus maximorum fluminum naturam, à Divino eloquio collaudatam imitetur, ut ad locum, unde initio ortusest, ultimò revertatur. Vagabantur priores Tomi mei velut undæ Viatrices procul à termino, per varias terras, quàm peregrinari contigerat, alluebantque præsidii quarendi causâ diversos Portus, non tamen alios, quàm quos præfixa Insula spondebant Pontificiis Juribus fore tutos, & tutatores: Solus iste liber meus Patriam, & Te, Celssissime Præsul, non aliter, quàm Suum Mare respiciebat; Illuc ruebat, unde fluere in Scriptore Svo didicerat incepisse. Sic se Fluvii, si non Nomen ob exilitatem, saltem indolem glorioso in suam Scaturiginem refluxu indepturum. Nam Nominatissimam Diocesin Tuam Passaviensem, Domine ac Princeps Clementissime, Terrarum sub Tuo Peditarum amplitudine vix uni inter

O EPISTOLA DEDICATORIA. 1

ter Theutonicas : Nominis verò, & dignitatum magnitudine nulli secundam, mihi Natalem esse : Tuam autem Magnificam Sedem Passavium Studiorum meorum prima incunabula agnosco. In Terra Tua primam auram, in domestico Tuo Triurbio primam litteraturam hauri; Utrumque Pelagus illud est, unde Ego, & mea Scaturimus. Admitte proinde Clementissime Princeps, Has Guttulas meas, in Suam Originem refundere se paratas, non ut iterum fluant, sed ut Fonti se sistant, Ortui non ingratas, ibique quietem, ac velut in Originis Domicilio tutissimum asylum & praesidium reperturas. Quae ratio, praeter alias, quas reperire facile foret, tametsi me defecisset; aliam tamen, & quidem Palmariam, cur huic Libro Celsissimum Nomen Tuum inscribere auderem, & deberem, materia suppeditaret. Matrimonium est, quod tractatur, id Tuo sacro Tribunali debetur; nam nuptiales causas nonnisi Infulato Foro addixit Romanus Legislator. Et quamvis ista Connubialis Iurisdicendi potestas Tua Celsitudini videri possit communis cum aliis mitratis Vericibus: momento tamen multum praevalente, Tibi peculiarem fecit Summi Imperatoris Tuis Maximis meritis commensus Favor. Tuum proprium dico esse Magnum Matrimonii Sacramentum, quod aras spectat, sicut aurum Arabia est, non quia alibi nullum, sed quia ibi praestantissimum. A potiore Philosophus nomen impertit. Ad te pertinere in sacris Connubiorum potissimum, qui ambigit, vel nescit Augustissimi Leopoldi cum Augustissima Eleonora Magdalena ante biennium initum esse Hymenaeorum omnium, quos Sol arridens videt, phœnicem, vel negat id esse Tuum? Quorum illud utriusque Maiestatis est impia contemperatio, quia eadem mensura nuptorum est, quae nuptiarum: Istud iniuria Tua Celsitudinis. Quis enim impunè dixerit, non esse Tuum, quod in Tua Latissima Hierarchia, Utrique Austriae, & ex parte, ipsi Imperatoriae Vienna dominantis solo fortunatissime crevit. Tuum est illud Fœdus Nuptiale, quia in Episcopali Sede Tua, in Tua, inquam, hoc etiam nomine beatissima Passaviensi Tripoli, quin in intimis Tua Cathedra Sacris penetralibus sanctissime coaluit, Tuam Celsissimam Praesentiam tribuente eam, sine qua ex Tridentino Oraculo stare non poterat, Parœcialem auctoritatem. Tuam sacratissimam dexteram, qua sub panis velo tunc Numen praeferebas, bene precando, impertiente illam fertilitatem, quam nunc Mundus Tecum triumphat.

Reddo itaque, quod tam alto, tam vario Jure Tibi vindicas Matrimonium, & quidem eo tempore (quod in capite mea felicitatis pono) quo ex eadem Matrimonii faustiore, quam illa Danielis arbore,

à Te

EPISTOLA DEDICATORIA.

à Te plantatâ colligis Pomum Imperiale Filium accrescentem Joseph, desideratissimum Augustissimâ Domûs Austriacæ Delicium, Germaniæ labantis fulcrum, Imperii Romani columen, & quidem æneum & stabile. Ita Natalis S. Anna, id est, Gratia, (nam Dei Donna pœnitudinem nesciunt,) iubet ominari. Tanti Boni radicem Tibi, Clementissime Princeps, dedico Matrimonium. Quod si Gratiissimo oculo aspexeris, atque Humanissimâ, & Pontificali manu Tuâ fueris dignatus, credam me Labores meos feliciter finivisse, & venam calami mei in Originarium Oceanum suum ex decore, & debito reduxisse. Vive, & perenna, Clementissime Præsul, atque hoc umbratili Matrimonio meo ita frui, ut Vero illo, & Augustissimo, eiusque Præsente, & futuris Fructibus, in longissima Tua, ac Tuorum incolunitate diutissimè lateris. Dilinga ipso solemnissimo Festo Gloriosissima Virginis in cælum assumptæ, Anno M. DC. LXXVIII.

R.^{ma} Celsitudinis Tuæ

Servus obstrictissimus

ERNRICVS PIRHING
SOC. JESU.